


CHRIS[illegible] Autor,
[illegible]rum,
Dum [illegible] eius esto
[illegible] liber!



Notandum ex hoc libro

de Melanchtone pag -- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod iis etiam
in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio IX.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

DE LIBERO ARBITRIO, AC IN SPECIE;

de

Prima Hominis Conversione,

&

Legis Impletione.

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTÆ, SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

GEORGIO RÖCHLIN

Prentzl. March.

Publicè in Auditorio majori, Ianuar. habenda.

REGIOMONTI,

Typis Laurentii Segebadii, Anno 1625.



Disputatio IX.

De Libero Arbitrio.

Respondente Georgio Rochlin March.



Ocum de *Libero Arbitrio*, Auctores nostri simul in loco de *peccato Originali* expeditum voluere; quibus verò de caussis; suprà indicatum fuerat. Nobis placuit seorsim hunc articulum pertexere, & sub peculiarem disquisitionem revocare: pensi habitâ ipsius *amplitudine*; tum ardua *difficultate*, si plenariè tractari debeat; tum denique ingenti *necessitate*, ac maxima *utilitate*. Difficultatem insignem suo tempore, expertus est B. *Augustinus* adversus *Pelagium* decertans, uti eam passim innuit præsertim *Epist.* 46. *ad Valent.* & d. *Grat. Christ.* c. 47. Amplitudinem etiam vincunt articuli cognati, iique quàm plurimi: ceu de *peccato Originali*; de *regeneratione*; de *renovatione*; *prædestinatione*;

de Verbi & Sacramentorum efficacia; de Gratia Dei salvificâ. Utilitatem commendat præparatio ad instituendum in noticia quâ reliquos difficiles articulos, inoffenso pede progressum; præcipuè in articulo de Iustificatione; de bonis operibus; de Impletione legis; de sacramentis &c. Pro more igitur recepto, telam tractationis nostræ à sede hujus articuli exordimur.

I. SEDES HUIUS articuli.

Desumtus, ac repetitus est hic articulus primò ex Augustanâ Confeßione articulo XVIII. qui sic habet: De Libero Arbitrio docent Ecclesiæ, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justiciam, & eligendas res rationi subjectas: sed non habet vim sine Spiritu S. efficiendæ justiciæ Dei seu justiciæ spiritualis: quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, sed hæc fit in cordibus, cum per Verbum Spiritus S. concipitur. Confirmatur hæc sententia ex Augustino lib. 3. Hypognost. Contraria v. ceu Pelagiana rejicitur.

Explicatur porrò fusiùs hæc doctrina in Apologia Articuli XVIII. contraq; Pontificios solidè defenditur. Deniq; inculcatur in articulis Smalcaldicis, parte Tertia artic. 1. de peccato: ubi scholasticorum placita proponuntur qui-

bu

bus docetur: Post Adæ lapsum, hominis naturales vires mansisse integras & incorruptas, & Hominem naturaliter habere rationem rectam, & bonam Voluntatem, sicut Philosophi dicunt. Et: Hominem habere Liberum arbitrium faciendi bonum, & omittendi malum; & contrà: omittendi bonum & faciendi malum.

Item: Hominem posse naturalibus viribus Deum super omnia diligere, & proximum sicut seipsum. Item: si faciat homo, quantum in se est, Deum largiri suam gratiam.

Item: Non posse ex scriptura probari ad bonum opus necessariò requiri Spiritum S. & ejus gratiam.

Concludit verò D. Lutherus his verbis: Talia & similia portenta orta sunt ex inscitia & ignorantia peccati, & Christi servatoris nostri, suntq; mera Ethnica dogmata, quæ tolerare non possumus. &c.

II. Summa Huius Articuli, prout in libello nostro proponitur.

Expeditâ doctrinâ de peccato Originali; effectus ejusdem proponuntur, nimirum depravatio & corruptio omnium virium tàm superiorum; quàm inferiorum in Homine. Deinde sententia de Libero Arbitrio s. viribus humanis post lapsum, instituto processu ab ἀρσει

ad θέσιν in medium affertur. In *remotione* statuitur nõ negari uti intellectũ; ita voluntatẽ, quoad essentiam; nec quoad operationem, quâ res externas, ad temporalem hanc vitam pertinentes, esse deperdita: utut liberum arbitrium hoc pacto sit multis modis imperfectum: nec esse quæstionem; utrum quoad operationem rerum spiritualium, in primis verò in conversione, intercedat in homine aliqua *mutatio*; aliqui novi motus in mente voluntate, & corde hominis? sine his enim conversio expediri nullo modo potest.

In *positione* duplex assertio comprehenditur. 1. de *Causa Efficiente* Conversionis, quæ est spiritus S. per Verbum suum Efficax. 2. de *subjecto* Conversionis, quod sic effertur: *Homo ex prima sua nativitate nequaquam habet in suâ naturâ, & in suis viribus talem aptitudinem & capacitatem, quòd ex se possit Verbo non repugnare, seu concipere desiderium & voluntatem illud amplectendi, & ei aliquo modo assentiri.*

Tertio assertio Orthodoxa confirmatur *partim* ex scriptura, tribus argumentis desumtis; *partim* ex Patribus; præsertim B. *August. lib.* 3. Hypognost. *lib. 2. contra duas Epist. Pelagii cap. 9. lib. 2. de bono perseverant cap. 15. & lib. 2. contra duas* Epist. Pelag. *cap. 8. partim* deniq; ex Concilio *Arausicano cap. 6.* Deniq; in Antithesi damnantur *Pelagiani* Veteres, & recentiores *Pontificii*, deinde *Synergistæ*, insuper *Enthu-*

siastæ.

ſtaſtæ, & Deniq; Stoici, diſputantes, hominem coactum omnia facere, converſionem fieri per modum coactionis.

III. EXPLICATIO Orthodoxæ ſententiæ de Libero arbitrio.

In Theſeos Orthodoxæ explicatione tria veniunt expendenda. 1. *Appellatio.* 2. ſignificationis genuina, ac *propria acceptio.* 3. *Quænam ſint vires* Liberi Arbitrii circà hominis converſionem, & Legis impletionem? Notandum enim diligenter eſt, *duplicem eſſe controverſiæ ſtatum obortū de viribus humanis poſt lapſum: 1. Quomodò ſeſe habeant ad Legis impletionem? 2. quomodo ſeſe habeant ad ſui converſionem?* Ille intercedebat initiò renaſcentis Evangelii B. *Luthero* cum pontificiis, uti videre eſt ex *Auguſt. Confeſſ. Apologia, articulis Smalcaldicis,* nec non reliquis ſcriptis B. *Lutheri.* Hic vero progreſſu temporis moveri cœpit inter *proteſtantes,* eumq; auctores noſtri imprimis penſi habuerunt: quærebatur namq; de *cauſis Efficientibus* converſionis, num ſit ſolitaria ac unica, ipſe Spiritus S. per Verbum & ſacramenta efficax, an verò ſimul voluntas cooperans? *Prius* Orthodoxi; *poſterius* ſynergiſtæ Pelagianizantes defenſum ivere. Deinde diſceptatum fuit de *modo converſionis,* num ille ſit *reſiſtibilis,*

an verò *irresistibilis*? Ubi *Enthusiastæ* & *Calviniani* posterius arripiebant, & nunc quoque mordicus tuentur: *prius* verò Orthodoxi tenent. *Tertiò* agitatur hodieq; Controversia de *Gratia Dei*, *de* qua aliter *Pontificii*; aliter *Semi pelagiani*; aliter *Calviniani*; aliter deniq; *Orthodoxi* sentiunt. *Quartò* de mediis conversionis, quânam virtute & efficaciâ polleant, & quo pacto in concursu gratiæ divinæ sese habeant? *Deniq;* in quantum conveniant *Conversio, Regeneratio, Iustificatio, & sanctificatio*, in quantum verò distinguantur. Hæc omnia hodierno tempore in proscenium Ecclesiæ introducta, adhuc agitantur: nullo itaq; jure à nobis silentio præteriri potuerunt: ac proinde agendum nobis erit de *conversione*, postmodùm de *legis impletione*: hujus enim tractatio ab illa dependet:

De Primo.

Appellationem tùm Latinam tùm Græcam Liberi Arbitrii multis alii Theologi prosecuti sunt, qui etiam videri poterunt. B. *Chemnic.* Loc. VI. d. L. A. fol. 180. seq. *Dn. Hutter.* in L. C. de L. A. Loc. VII. cap. 2. *Dn. Meisn.* decad. 3. Anthropol. disp. 1. & part. 2. Philos. sob. sect. 1. c. 1. p. 294. part. 3. sect. 1. c. 1. quæst. 26. Nos sententiam nostram brevissimis *Theorematibus* expediemus.

1. Termi-

1. *Terminus Liberi Arbitrii non est scripturæ; sed Ecclesiæ.* Desumtus enim est à quibusdam Patribus in Philosophicis scholis platonicæ sectæ addictis educatis, ac initiò quidem sensu minùs incommodo contrà fatalem Stojorum necessitatem: progressu verò temporis hosce terminos *Pelagius* etiam ad res spirituales detorsit, sensu per omnia Hæretico. Aliàs tales termini in scripturis S. quoad *literam* non extant, intellige conjunctim; seorsim verò passim occurrunt. Fit namq; mentio *Arbitrii Num.* 30. *v.* 13. *Electionis Deut.* 30. *v.* 19. *Ios.* 24. *v.* 15. *propriæ voluntatis*, 1. *Cor.* 7. *v.* 39. *potestatis* 1. *Cor.* 9. *v.* 4. 5. 6.

2. *Arbitrium propriè pertinet ad intellectum; Liberum ad voluntatem.* Rationem reddit *August. lib.* 3. *Hypognost. cont. Pelag.* Dictum n. arbitrium *ab arbitrando*, rationali consideratione; vel discernendo, quid eligat, quidve recuset, puto, quod nomen accepit: vel ideo Liberum Arbitrium dictum, quod in sua positum sit potestate, habens agendi, quod velit, possibilitatem, quod est vitalis & rationalis animæ motus. *Vid. Lombard. lib.* 2. *distinct.* 24. Confer *Flacium part.* 1. Clav. script. *Chemnic. l. d. cap.* 1. *Hutter. l. d.* *Appositio itaq; vocis arbitrii ad Liberum non redundat*: respectu habito *tum* ad subjectum, in quo Lib. Arbitrium suam sedem habere dicitur, *estq; mens & voluntas*; *tum* ad excellentiam graduum libertatis in voluntate humanâ.

Liberum Arbitrium *varia* ad mittit *significata*: in universum tamen ad *duplex* genus reduci poterunt. *Primum* genus ambitu suo includit significationes *Philosophicas* sub *triplici consideratione*.

1. namq; L. A. capitur pro ipsa *mente & voluntate*, adeoq; pro ipsis animæ rationalis facultatibus: quæ non sunt amissæ: & quas si quis negatum iverit, Catholicus non erit judice B. *August. lib.* 3. *Hypognost.*

2. Capitur pro *interno agendi principio*, vel inclinatione qua voluntas recta in appetendo ducitur, utut non nisi ad mala feratur: Et hoc sensu L. A. post lapsum remansit, *pronunciante* B. *August. lib.* 1. *cont. duas pelag. Epist. cap.* 2. & inculcante *Bernhardo tract. de Grat. & Lib. Arb.* Vid. Chemnic. d. l.

3. Capitur *pro potentia* voluntatis humanæ, quæ in externis & civilibus rebus potest eligere vel bonum vel malum.

Alterum genus includit significationes *Theologicas*: & sic 1. Liberum arbitrium sumi solet *apte & commodè* pro potentia Conversionis *paßivâ* h. e. pro capacitate Conversionis, adeoq; pro *suppositi potentiâ receptibili* vel *paßivâ* conversionis; regenerationis, & renovationis: adhibitis mediis divinitùs ordinatis, ac prævia eorum usurpatione. Hoc etiam sensu L. A. in homine remansit.

2. Accipitur *in commodè ac ineptè* sensu *Pelagiano* ac Papistico pro facultate naturali sese ad Deum convertendi, ad Gratiam Dei præparandi, nec non similes actus spiritnales edendi. Sensum huncce damnavit in Pelagianis B. *August. in Enchirid. cap.* 30. De hac significatione accipienda sunt illa effata: *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, & titulus sine re* B. *Lutherus*, assert. artic. cap. 36. *Arbitrium est servum; imò nullum:* fuit namq; L. A. pars imaginis divinæ: hac autem amissa, etiam L. A. amissum est.

Limitat: Distinguendum est inter arbitrium hominis, ratione ὀσίας & *essentiæ*: & sic *Liberum* est; & ratione ἐνεργείας s. *operationis*, & sic servum est, respectu 1. conversionis, ad quam non regenitus neq; se præparare, neq; ad eam concurrere potest: 2. *impletionis legalis* ex toto & ex asse. Hinc adeò factum, ut ab aliis loco tituli de Libero Arbit. formetur, *de Viribus humanis post lapsum*: uti videre est apud Dn. *Chemnic*. d. l. & alios, ut & in *Formula Concord*. Et sic etiam à nobis considerabitur in illo duplici objecto: de quo jam ex professo, sed breviter tamen.

De Tertio.

De *duobus* in hoc membro nobis agendum erit. *Primò*, de Hominis conversione: *posteà* de Legis impletione.

De

De Conversione.

Circà pertractationem hujus thematis, contemplabimur Conversionis 1. πολυσημασίαν, ac *propriam significationem*. 2. Polyonymiam vel synonymiam Grammaticam. 3. *Definitionem*. 4. *Caussas*. 5. Axiomata *vel proprias* affectiones. 6. *Cognata*. 7. *Opposita*.

I. VARIA TERMINI *Conversionis acceptio, & ad propriam determinatio.*

Tres occurrunt classes, intra quarum cancellos significatio *Conversionis* vertitur. *Prima* complectitur Conversionis *tria* significata. Capitur enim 1. in significatione *impropriâ* ac laxiore, pro pœnitentia *stantium*, vel pro resurrectione fidelium cottidiana ex lapsu. Estque nil aliud, quem perpetua carnis *mortificatio*, ac cottidiana pugna carnis & spiritus, fide in Christum, & promissionibus Evangelicis sese recreans, resuscitans, ae sustentans. Ideoq; talis Conversio aliàs vocari consuevit *Conversio stantium*: tales namq; dum venialitèr peccant, iratum Deum non habent; sed in conversione semel facta per Gratiam Dei perseverant, eamq; continuant. In hac conversione

sione Liberum Arbit. est operosum; quia est liberatum.

2. Capitur in significatione *strictiori* pro pœnitentiâ *lapsorum* in Ecclesiâ: dum renati à Diabolo seducuntur, eoq; ipso iræ Dei ac damnationi æternæ fiunt obnoxii: Verumtamen fœdere Dei non prorsus excidunt prius, quàm si finaliter in peccatis perseverarint. Atq; hæc Conversio nihil aliud est, quam *reditus ad usum pristinæ gratiæ*, per seriam pœnitentiam.

3. Capitur in significatione *strictißimâ* & propriissimâ, pro conversione infidelium & non renatorum extrà Ecclesiam: quales sunt *pagani*, *Turcæ*, & *Iudæi*, ac consistit in mutatione spirituali: dum homo propter peccatum prorsus à Deo aversus per fidem Christi meritum apprehendit. Atq; hanc Conversionis significationem intelligunt Theologi, quoties de Viribus L. Arbitrii disputant.

Secunda claßis complectitur distinctionem Conversionis in tertiâ significatione in *subitam* & *lentam*. *Subita* dicitur, quando Deus sceleratos & impios non tantum ad se vocat & convertit, sed quosdam etiam dum in impietatis actu peragendo versantur, judicii sui metu perterrefacere, & malleo potentiæ suæ corda ipsorum pulsare satagit, ut quo tempore ipsi supplicium gehennæ merentur; salutis tractum ipse promoveat. Huc pertinet

Conver-

Conversio *Pauli Act. c.* 9. quam secum expendens B. *Augustinus* in admirationem immensæ bonitatis & misericordiæ divinæ, abreptum se esse testatur. Vocari non inepte poterit *Conversio immediata*.

Lenta dicitur, quando Deus infideles per media ad se vocat & convertit; sive illa sint *ordinaria* adhunc usum divinitus ordinata; nimirum Verbum & Sacramenta; sive *extraordinaria*: quale erat stella Magis in Oriente apparens. Huc pertinet Conversio *Æthiopis* Act. 8. Quò etiam pertinet Conversio B. *Augustini lib.* 5. *Confess. cap.* 13. 14. *lib.* 7. *cap.* 21. & *lib.* 8. *cap.* 2. 5. 11. Talis conversio Gentium ad regnum Christi intelligenda per præconium Prophetarum & Apostolorum, quamqз hodiè Spiritus S. per ministerium operatur. De hac etiam nobis est sermo impræsentiarùm.

Tertia Classis complectitur *distinctionem* Conversionis in *Extraordinariam* & *Ordinariam*.

Extraordinaria est, quando Deus modo extraordinario infideles ad regnum gratiæ vocat: talis erat Conversio *Abrahami* Gen. 12. *Latronis* Luc. 23.

Ordinaria, quando Deus per media ordinaria homines convertit: de qua hoc loco.

II. Synonyma Conversionis.

Conver

Conversio in propria hujus loci significatione aliquot æquipollentibus effertur vocabulis Vocatur namq; aliàs *Regeneratio*, non illa, de qua *Matth. cap.* 19. 28. ad statum Gloriæ pertinens, nec illa, quæ renovationem simul complectitur 1. *Pet.* 1. *vers.* 23. *Iacob.* 1. *v.* 18. sed 3. de qua *Iohannes cap.* 1. *v.* 13. *cap.* 3. *v.* 5. & *Tit.* 3 *v.* 5. ad statum Gratiæ ex statu miseriæ hominem transferens. 2. *Immutatio*, intellige malarum & vitiosarum qualitatum in mente & voluntate. 3. *Creatio* cordis carnei Ezech. ca. 11. vers. 19. 20. cap. 36. v. 26. Jer. 24. v. 7. 4. *Vivificatio* Eph. 2. v. 4. 5. 6. 5. *illuminatio* Eph. cap. 1. v. 17. 18. seq. 2. Cor. 4. 6. Eph. 5. v. 8. 14.

III. Definitio Conversionis.

Conversio est actio Dei, qua ex mera gratiâ hominem in statu miseriæ ac iræ constitutum, mediante verbo regenerat ad vitam æternam. Generis loco ponitur actio, quæ ceu supernaturalis Deo tribuitur, ejusq; mentione caussa *principalis* innuitur, *organica* verò mentione verbi: *Materialis* vel *subjectum* est Homo in miseriæ statu constitutus: *Formalis* indicat modum conversionis in regeneratione consistentem: *Finalis* ultima secundum quid, vita æterna. De quibus singulis aliquantò fusiùs restat agendum.

IV. De Cavsis Conversionis.

§. 1. Effi

§. 1. *Efficiens* Converſionis *Principalis* eſt SacroSancta Trinitas. Eſt namq; Converſio opus ad extra, ac proinde omnibus tribus perſonis adſcribitur. *Deo Patri* *Matth.* 11. v. 27. cap. 16. 17. Act. 5. v. 31. Joh. c. 1. v. 13. c. 6. v. 44. Eph. 1. 17. 2. Tim. 2. v. 25 26. Philip. 1. v. 6. cap. 2. v. 13. Tit. 3. v. 5. *Deo Filio* Joh. 1. v. 9. cap. 8. v. 12. cap. 16. v. 14. Luc. 24. v. 27. Eph. 4. v. 21. cap. 5. v. 25. 1. Joh. 5. v. 20. *Deo ſpiritui* S. Joh. 3. v. 5. 1. Cor. 6. v. 11. cap. 12. 4. 2. Cor. 3. v. 2. 3.

2. *Movens* intus eſt Gratia Dei. Vox *Gratiæ* triplici in ſignificatione apud Theologos occurrit 1. accipitur pro *comitate* & manſuetudine, qua quis apud alios Gratiam init ſeq; gratum & acceptum reddit, Luc. 1. 28. cap. 2. v. 52. 2. *pro donis* ex Gratia collatis tum corporalibus Gen. 33. v. 5. tum ſpiritualibus Act. 6. v. 8. cap. 11. v. 23. Rom. 6. v. 23. Eph. 4. v. 7. 1. Pet. 4. v. 10. 3. *pro favore* clementia & miſericordia Dei ejusq; propenſa voluntate, qua creaturis omnia bona liberaliter & gratis non ex ullo merito, vel debito noſtro largitur de qua *Gen.* 6. *v.* 8. *cap.* 39. *v.* 21. Exod. 33. *v.* 19. Rom. 9. 15. 50. *Num.* 6. *v.* 25. Joſ. 11. 20. Am. 5. *verſ.* 15.

3. Eſtq; talis Gratia vel *generalis*, ad articulum *creationis & providentiæ generalis* pertinens, omnibus creaturis *communis*, quatenus Deus

Deus ceu causa prima cum omni re creata concurrit tum immediatione suppositi, tum virtutis: vel *specialis*, ad Articulum *redemtionis & sanctificationis* pertinens: estq; ad solos homines determinata, ac cum *speciali providentiâ* Dei conjuncta. Talem gratiam statuimus esse *causam intus* Deum moventem ad hominis Conversionem: de qua 2. *Tim*. 1. *v*. 9. *Tit*. 2. *v*. 10. *c*. 3. *v*. 5. *Iacob*. 1. *v*. 18. *Heb*. 4. 16. 1. *Pet*. 1. *v*. 3. *Eph*. 2. *v*. 4. 5. 7. 8. *cap*. 3. *v*. 2. 5. 6. 1. *Ioh*. 3. *v*. 1.

4. Porrò *Gratia* Dei specialis consideratur prout est *vel prima* vel *subsequens*. Ad *primam* pertinet *triplex* ille gratiæ modus, quem recitat ex B. *Augustino Chemnic*. L. *d*. L. A. *cap*. 6. Juxta *primum* dicitur *gratia Dei præveniens* omne nostrum desiderium, omnemq; vocationem *Rom*. 10. 20. vel excitans, nimirum bonum propositum, desiderium & motum: juxtà *secundum* dicitur præparans, nimirum & mentem, & voluntatem, ne repugnet spiritui S. sed assentiatur Act. 16. v. 14. Atq; hæc gratia operatur *consensum*: juxta *tertium* dicitur Gratia *operans*, videlicet primum motum conversionis, mentem vel intellectum illuminando, cor verò & voluntatem in melius mutando.

5. *Insuper* Gratia Dei *prima* alia est *Extraordinaria*, alia *Ordinaria*: quæ ab invicem differunt. *Extraordinaria* est 1. *particularis*, ac

ſingularis 2. *ſufficiens* & ſemper *Efficax* 3. *abſoluta* & 4. *irreſiſtibilis*. Qualem quidem Gratiam exſeruit Deus in converſione *Pauli* Act. 9. v. 4. 5. *Ordinaria*, de qua heic ex profeſſo, differt ab illa *ſequentibus Theorematibus*.

1. *Gratia Dei prima Ordinaria eſt omnibus hominibus ex æquo communis* h. e. *pertinet ad omnes homines ex Dei intentione*. Illuxit enim omnibus hominibus Tit. 2. *verſ.* 10. omnibus *Gentibus* Luc. 24. v. 47. Rom. 16. v. 26. Matth. 28. 19. Marc. 16. v. 15. ut omnes ubiq; reſipiſcant Act. 17. v. 30. 1. Cor. 4. 17. 2. pet. 3. v. 9. in *toto mundo ſub cœlo* Col. 1. v. 23. nullo excepto v. 28. ob cujus contemtum omnes increduli damnantur Luc. 7. v. 30. Ioh. 3. v. 18. 36. Act. 13. v. 46. neque etiam anguſtius Chrſti merito eſſe poteſt, quippe in hoc fundata, uti paulò poſt dicetur.

2. *Gratia Dei prima ordinaria eſt Una numero ac in ſe eadem, ſemperq; ſibi ſimilis ac æqualis*. ſicuti enim unum eſt Dei verbum: ità una Gratia Dei: quippe hæc illi devincta *Ordinarie*, *ac extra illud non quærenda*: Eſt enim verbum Dei ὄχυμα & δοχεῖον quoddam Gratiæ Dei Rom. 10. v. 17.

3. *Gratia Dei prima ordinaria eſt ſalutifera omnibus hominibus, naturaq; ſua ad gloriam æternam ordinata*. Tit. 2. v. 10. Ezech. 18. v. 23. 32. cap. 33. v. 11. 2. pet. 3. v. 9. Rom. 2. v. 4. Joh. 5. v. 34. 40.

4. Gratia

4. *Gratia prima Ordinaria, non est absoluta, sed ordinata, mediata, vel conditionata.* Nam Deus ex beneplacito suo conversionem operari promisit, non absolute, sed per media, nimirum auditum verbi & usum sacramentorum: qua de re inferius.

5. *Gratia prima Ordinaria semper est sufficiens ac ex intentione* Dei *Efficax ad conversionem simpliciter omnium hominum: inefficax verò ab eventu.* Ratio prioris, quia idem effectus divinus salvificus ex parte Dei omnibus offertur quoad voluntatem Dei antecedentem. 2. eadem media salvifica omnibus ex æquo subministrantur; nulli denegantur: uti est Evangelium ceu potentia Dei ad salutem omni credenti: *Sacramentum* initiationis: &c. per quæ Deus se efficacem fore omnibus promisit, modò Spiritus S. operationi obicem malitiosè non opponant: alioquin enim redditur inefficax *per accidens, & præter intentionem divinam.*

6. *Gratia prima Ordinaria est resistibilis.* Ratio: licet namq; Gratia Dei ordinaria sit virtutis *infinitæ*; non tamen agere in hominibus vult *absolutè*; sed præsuppositis certis mediis ac conditionibus: quibus etiam *non absentibus*, Gratia Dei effectum sortitur, *absentibus* verò secus: non ob impotentiam aliquam in Deo; sed ob ordinationem actionis divinæ: placuit enim Deo, non *absolutè*; sed per *stul-*

ticiam prædicationis homines convertere, & ſalvare 1. Cor. 1. v. 21.

7. *Gratia Dei prima Ordinaria eſt Converſionis cauſſa ſolitaria non verò partialis.* Eſt enim Converſio quædam creatio: uti verò hujus ſolus Deus erat cauſa Efficiens, ita converſionis ceu novæ creationis: ipſe enim aufert cor lapideum & donat carneum: cor mundum creat ac ſpiritum indit; coecitatem, ac tenebras pellit, ſolusq; illuminat; à mortuis reſuſcitat. *Deut.* 29. *v.* 3. 4. *c.* 30. *v.* 6. 1. *Reg.* 3. *v.* 9. *c.* 8. *v.* 53. *Pſ.* 51. *Ioh.* 6. 44. *c.* 15. *v.* 2. *Pſ.* 51. *v.* 12. *Pſ.* 119. *v.* 34. *Eſ.* 11. *v.* 2. *Ier.* 32. 39. *Ez.* 11. *v.* 19. *c.* 36. *v.* 20. *Act.* 26. 17. *Rom.* 3. *v.* 29. 2. *Cor.* 3. *v.* 3. *cap.* 4. 7. *cap.* 5. 8. *Eph.* 1. 17. *ſeq. cap.* 2. *v.* 5. 8. *cap.* 4. *v.* 18. *cap.* 5. *v.* 13. *Phil.* 1. *v.* 6. *cap.* 2. *v.* 13. Pertinent huc illa effata: *Gratia prima nullam admittit* συνέργειαν, *ſive cooperationem noſtræ voluntatis: Deus operatur converſionem in nobis ſine nobis.* Auguſt.

6. *Gratia ſubſequens* ambitu ſuo complectitur Gratiam *Cooperantem & conſervantem* ex mente B. *Auguſtini.* dicitur aliàs *Gratia ſecunda, concomitans cooperans, & conſervans;* eſtq; actio divinæ miſericordiæ, qua Deus hominem jam regenitum dirigit, gubernat ac conſervat.

Theoremata.

1. *Gratia cooperans, vel ſecunda non eſt diverſa ab excitante, præparante & operante.* Ut n. Unus Deus, qui dat velle & perficere: ita una Dei gratia, quæ in nobis ſine nobis operatur.

&

& quæ in nobis cum nobis operatur. Distinctio itaq; Gratiæ in *primam & secundam* est ab *effectu* desumta: quia actus Gratiæ *operantis* prior est actu gratiæ *cooperantis*: prius namq; homines convertuntur; postea in conversione confirmantur.

2. *Gratia secunda admittit voluntatis humanæ συνέργειαν seu cooperationem.* Ratio: quia homo jam à spiritu S. vivificatus seipsum movet ad benè operandum.

3. *Gratia secunda propriè efficit renovationem, ac sequitur regenerationem ac justificationem.* Hinc etiam à quibusdam vocatur Gratia *Habitualis*, ideò, quod efficiat hominem post conversionem juxta spiritum ambulare, & ex habitu benè operari.

4. *Gratia secunda admittit gradus.*

5. *Gratia secunda est amißibilis per peccata actualia & mortalia, ideoq; est conditionata* Rom. 8. v. 13. cap. 11. v. 22.

7. *Altera impellens* Deum ad conversionem hominis est causa *Meritoria*, h. e. intercessio, obedientia & satisfactio Christi. Rom. 5. *v.* 10. 1. *pet.* 1. *v.* 3. 21. *c.* 2. *v.* 24. 1. *Ioh.* 1. *v.* 7. *cap.* 2. *v.* 2. *cap.* 3. *v.* 8.

Axioma: Meritum Christi est fundamentum universæ gratiæ specialis ad opus redemtionis & sanctificationis pertinentis.

8. *Duplex* est Dei misericordia & Gratia: *Una* absoluta à simplici Dei voluntate

dependens : *altera* ordinata, vel in Christi merito fundata. *Illam* dispensat Deus *extra* Christum, ejusque meritum v. g. in mundi creatione; in animalium irrationalium, & rationalium formatione; propagatione & conservatione: ideoq; eam referimus ad articulum *Creationis & Providentiæ generalis*. Hæc verò est *Evangelii propria*, nec extra Christum quærenda, aut statuenda. Porro Gratia Evangelica vicissim est vel *Extraordinaria* vel *ordinaria*, de qua suprà egimus: Utraq; verò *in Christi merito & satisfactione fundata*: Extraordinaria tamen certo respectu *absoluta* vocari poterit: non quidem quod in Christo fundata non sit; sed quod non *respiciat ordinariam conditionum impletionem ex parte certorum hominum*: hi enim cum resistere potuissent, irresistibiliter convertuntur, regenerantur, ac renovantur. Quare manent immota hæc *Theoremata*.

1. *Quam latè patet Christi meritum, tàm latè sese extendit. Dei gratia* 2. *Quibuscunq; Deus Filium suum donavit, in iisdem & Conversionem & alia salutaria effecta producere decrevit voluntate sua antecedente.*

9. *Forinsecus* movens est Hominum *Miseria*, in quam ob lapsum Adę propriumq; peccatum sunt præcipitati.

Theorema: *Miseria Hominum non est latior, vel amplior Dei Gratia, & Misericordia in Chri-*

sto

sto fundata. Ubi enim exuberavit peccatum, ibi magis exuberavit Gratia Rom. 5. v. 20. per *Christum Iesum v.* 21.

10. Caussa *Organica* vel *Instrumentalis* Conversionis ordinariæ est Verbum Dei tùm *Audibile*, tùm *Visibile*.

11. Præter vulgaria, & propriè sic dicta *instrumenta* datur certum genus instrumentorum *supernaturale & mysticum* in significatione *latißimâ*, ac *analogicâ*. Quò pertinent Media Conversionis & salvationis divinitùs instituta: qualia sunt Verbum & Sacramenta. Hæc enim propter unionem rei mysticæ, spiritualis ac supernaturalis cum creata: ad propriam instrumentorum classem reduci nequeunt; nisi quis rem cœlestem in Sacramentis, virtutemq; Spiritus S. in verbo ad caussam Instrumentalem per stupendam absurditatem referre sategerit; adeoq; statuere necessum portentose habuerit, idem eodem respectu esse & caussam *principalem & instrumentalem propriè*. Ubi nullus effugio eorum locus, qui pro Sacramento rem duntaxat terrenam substituunt; in baptismo quidem *solam aquam*; in cœna verò sola *elementa panis* & vini. Quæ uti verè instrumenta ex parte Dei esse nemo negarit: ita nullatenus rationem Sacramenti per se sola absolvere, fateri tenebitur. Quæstio a. est de *totis Sacramentis propriè sic dictis, num hæc propriè instrumenta vocari poßint*? Negativa pro nobis

militat; quippe res *cœlestis*, qualis est in baptismo S. S. *Trinitas*; in cœna verò *corpus & sanguis Christi Deificatus & vivificans, nequaquam instrumentis adnumerari possunt*. Idem sentiendum de *Verbo Dei*, quod non absolvitur *Materiali & formali* qualitercunq; comparato; sed *cum divina virtute & efficacia conjuncto*: ubi nemo sanæ mentis hanc, causam instrumentalem appellitare ausit. Hinc adeò factum, *ut in toto codice sacro nullibi Verbum Dei instrumentum sit appellatum*. Quod sufficeret ad retundendam eorum profanitatem Fanaticam, qui conditiones instrumenti in hoc negocio nimis morosè, ast minùs piè urgent, ex iisq; indolem Verbi Dei unicè æstimant, nisi alia infinita argumenta in negantem partem ex pœnu divite Spiritus S. abundè suppeterent, de quibus antehac disput. 2. & aliàs suo loco. Proinde magis ad rem hoc in mysterio facit, terminus *Medii* divinitus instituti, quàm *Instrumenti*. Nec enim, quod *Medium* est, statim & instrumentum est: licèt contrarium sit verum.

12. Verbum *Audibile est scriptura sacra libris Prophetarum & Apostolorum comprehensa in V. & N. Testamento*. Egimus hac de re disput. 2. Hoc loco probè notandum venit, scripturam *dupliciter* considerari in Theologia 1. sub ratione *principii cognoscendi*, Canonici ac Normalis, ex quo omnes conclusiones Theologicæ

cæ componuntur; per quod probantur, & in quod resolvuntur. Et sic scripturam sacram consideravimus prænominato loco. 2. sub ratione principii *operandi* spirituales ac salvificos effectus ex ordinatione divina, utpote conversionem, regenerationem, & tandem salutem æternam. Atqui hæc consideratio scripturæ sacræ est hujus loci propria.

THEOREMATA.

1. *Verbum* Dei *est medium Conversionis ordinariæ, ex parte* Dei *non tantùm sufficiens & efficax secundum quid, sed simpliciter.* Duplex occurrit *efficacia scripturæ; Vna verborum,* vulgò δεινότης dicta vel δείνωσις, estq; *vis quædam repræsentans rem signatam excellenti modo, auctore Scaligero. d. Causis Linguæ Lat. vel* est *sermo, qui auctorem vehementer movet & afficit.* Quæ autem hic requirantur, suo loco dictum est: *Altera verum,* non tantum aures forinsecus afficiens; verùm & corda intus penetrans, mentes illuminans, pectora flectens, convertens, regenerans, sanctificans. De qua hoc loco. Vide in hanc sententiam argumenta. *disp.* 2. *Axiom.* 12. *Thes.* 16. allata; ex quibus liquidò patebit non tantum *sufficientia* scripturæ sacræ & *efficacia* ad conversionem secundum quid, uti volunt *Calviniani,* sed *simpliciter.*

2. *Verbo* Dei *efficacia illa non est adventitia, accidentaria, aut contingens, sed intrinseca, perpetua & necessaria.* Ad minimum *secundo Necessi-*

tatis gradu dicendi καθ' αὑτό. Ratio alibi fuit allata, quia per efficaciam 1. Verbum Dei quà Verbum Dei constituitur. 2. ab alio quovis verbo sive humano, sive Angelico distinguitur, & 3. sine hac Verbum Dei cessat esse Verbum Dei. Vide *disp.* 2. *th.* 26 *Et sic etiam Essentialis*, si non à *priori*, certè *à posteriori*, quæ *accidentariæ & contingenti* opponatur. Id *quod probè notandum*, *propter quorundam* in judicando præcipitantiam, hanc nostram assertionem pro impia, & hæretica proclamantium, cùm tamen cùm fidei analogia probè conveniat.

Denique perpetua dicitur. Quod enim sic rei necessarium, illud & perpetuum. Ubi tenendum, Efficaciam alioquin *dupliciter* posse intelligi: vel 1. juxtà actum primum, quatenus retrocurrit cum potentiâ operandi, vel 2. juxta *actum secundum*, quatenus retrocurrit cum *effectu*. Non hoc, sed illo sensu efficaciam scripturæ statuimus perpetuam.

3. *Deus per verbum suum est Efficax in ministerium adhibitum.* Intellige efficaciam in actu *secundo*: aliàs enim ratione *actus primi* Dei verbum semper *in se est efficax*, sive adhibeatur in ministerium, sive secus. Sicuti pharmacum semper est *efficax* in se, sive usurpetur ab ægroto, sive non: Ut & *semen* semper in se habet δύναμιν πλαστικὴν, sive seminetur in agrum; sive sit repositum in granario: sicut qq. ignis semper intus habet vim calefaciendi

sive

ſive uſurpetur in culinis, officinis &c. ſive non. Porrò ad miniſterium referri poterunt: *prædicatio, lectio, meditatio, auditus.* Ioh. 1. *v.* 20. 21. 22. Rom. 10. *v.* 7. Act. 17. *v.* 23. Talia namque ceu correlata Deus requirit ex parte noſtri, quoties ille gratiam offert ex parte ſui. Ubi notanda *Theoremata.*

1. *Auditus non eſt cauſa meritoria, ſed tantum Inſtrumentalis Converſionis.* Eſt enim auditus fidei conferendæ & converſionis organum, non per ſe, & reſpectu operis operati, ſed *ex ordinatione & instituto* Dei.

2. *Auditus eſt cauſa Inſtrumentalis noſtræ Converſionis non quidem reſpectu noſtri,* ac ſi per illum mereremur ſubſequentem converſionem; ſed tantùm *reſpectu* Dei.

3. *Auditus eſt Converſionis organon ex gratiâ divinâ ſolâ.*

4. *Auditus verbi non eſt confundendus cum ordine converſionis.*

5. *Auditus tenetur eſſe cum ſtudio diſcendi conjunctus.* Requirit namq; Deus, ut verbum ſuum homines audiant non frigide, vel ſomnolenter; ſed ſeriò ac cum diſcendi ſtudio.

13. Deinde heîc probè eſt tenendum diſcrimen 1. inter *Externum* auditum, lectionem & meditationem. 2 ſenſum *literalem* & 3. ſenſum *ſpiritualem.* Primum *&* *ſecundum* cadit in homines nondum regenitos, imò *Diabolum* ipſum *Iacob.* 2. *v.* 19. ſenſus verò ſpiritualis

vel

vel salvificus in *solos renatos*, à superveniente illuminatione, sese *non extra*, *sed* per *scripturam exserente*.

14. *Deniq;* discernendum est inter ipsum *Verbum & Verbi administrationem per homines, specialiter ad hoc munus vocatos. Verbum* ipsum semper est efficax sensu jam indicato, h. e. virtute efficaci præditum & in actum secundum deducitur in legitimò usu: *Ministerium* verò uti in se, & ex se est actio humana; ità elevatione ad supernaturalem eumq; spiritualem effectum producendum opus *habet necessariò*.

15. Verbum visibile sunt *Sacramenta* tum *initiationis*, tum *Confirmationis*. *Scripturam* Theologi appellant verbum *Audibile*, quia ex parte Dei adhibetur hominis τῷ γνωστικῷ νοητικῷ intelligibili; per quod etiam est efficax. *Sacramenta* verò *verbum visibile*, apud *August. tract.* 80. *in Iohannem*, quia ex parte Dei adhibentur τῷ γνωστικῷ αἰσθητῷ hominis h, e. sensibus externis. Porrò efficaciam Sacramentorum N. T. evincunt plura argumenta, de quibus infrà ex professo. In *genere notetur*: 1. Quicquid *convenit Evangelio generatim, illud competit & Sacramentis speciatim*: sunt enim hæc quædam epitome Evangelii 2. *Homines per Sacramenta fœderi divino inseruntur, & in eo conservantur.* 3. *Sacramenta sunt media offerentia, & applicantia divinam* gratiam. In *specie*.

16. *Sacra-*

16. *Sacramentum Baptiſmi* eſt medium ex parte Dei *converſionis, regenerationis & renovationis.*

Per hoc namq; nos Deus 1. principaliter fœderi ſui inſerit *Gen.* 17. 2. ex ſtatu miſeriæ in ſtatum gratiæ transfert exemplo infantum. 3. regenerat *Joh.* 3. *v.* 5. à peccatis abluit ac renovat 1. *Cor.* 6. *v.* 11. *Tit.* 3. 5. *Eph.* 5. *v.* 26. 4. ſalvat. 1. *Pet.* 3. *v.* 21.

17. *Sacramentum cœnæ* eſt medium ex parte Dei confirmationis ac conſervationis in Gratiâ, divinitus in actu converſionis ac regenerationis collatâ.

18. Vocatur *Confirmationis* Sacramentum quia 1. regeneratos in fœdere & Gratia Dei *confirmat* 2. fidem languidam *corroborat* 3. in bono vitæ propoſito *firmos* reddit: *Conſervationis* verò in Gratia tum *prima*; tum *ſecunda*: *Renovationis & ſanctificationis*: hæc n. per peccata actualia labefactatur, ac plerumq; amittitur, hocce autem medio redintegratur ac reparatur. Unde patet non indiſcriminatim eſſe adminiſtrandum ipſis inſuper infantibus; ſed iis duntaxat, qui ſe probare poſſunt 1. *Cor.* 11. *v.* 27. 28. 29. nec omnibus adultis, ſed qui jam ſunt renati per *verbum & Baptiſmum* adeoq; in fœdus Dei aſſerti. Plura hac de ſacramentis ſuo loco inferum.

19. Cauſa *Materialis* Converſionis eſt *ſubjectum*, idq; vel *adæquatum*; vel *principale*.

20. *Adæquatum* est totus homo vetus 1. *Thes.* 5. *v.* 23.

Axiom. 1. Homo *non regenitus ad* Gratiam *Dei primam & ad sui conversionem vel inchoandam vel efficiendam nil prorsus, & ne tantillum quidem conferre potest.* Ratio: *quia* conversio ac regeneratio in solidum soli Spiritui S. est adscribenda. 2. *quia* totus homo Vetus est peccato contaminatus secundum omnes suas facultates & potentias. 3. *quia* est animalis 1. *Cor.* 2. *v.* 14. 4. *quia* in peccatis mortuus *Eph.* 2. *v.* 1. *cap.* 5. 14. *Col.* 2. *v.* 15. 5. *quia* totus caro, de carne *Ioh.* 3. *v.* 6. 6. quia servus peccati. *Rom.* 6. 7. 2. *Pet.* 2. 19. 7. *quia* ovis errans & deperdita *Luc.* 15. *v.* 4. 8. 1. *Pet.* 2. *v.* 25. 8. *quia* homo non renatus *totus* fit Joh. 1. v. 12. 9. instar *luti* in manu artificis *Ier.* 18. *v.* 5.

2. *Subjectum* Conversionis *ex intentione* Dei *est* Vniversale, adeoq; *omnis homo in miseria constitutus: culpâ vero hominum redditur, particulare.* Probatur ex *parte* Gratiæ Dei, quæ est Universalis & salutifera omnibus hominibus 2. ex *parte* mediorum, quæ etiam sunt Universalia. Ergò quod quidam non convertantur, malitiæ suæ id ipsum imputent.

21. *Principale & immediatum est mens & Voluntas* Hominis. Utraq; & per conversionem vel regenerationem restaurari necessum habet. Sub *mente* comprehenditur *intellectus*, agnitio, judiciũ, assensus, apprehensio, &c. Sub *vo*-

luntate

luntate appetitus tùm rationalis, tùm sensitivus, & hic *tàm* irascibilis, *quàm* cōcupiscibilis.

Axiom. 1. Vtraq; facultas in actu Conversionis se merè paßivè habet, nullatemus activè. De mente probatur talis ἀδυναμία 1. quia est cœca, ac obtenebrata *Eph.* 5. *v.* 8. *Ioh.* 1. *v.* 5. *Act.* 26. *v.* 18. *Luc.* 1. *v.* 79. *Apoc.* 3. *v.* 17. (ubi intellectus hominis nō renati dicitur miser & miserabilis, & pauper, cœcus, ac nudus) enivada *Eph.* 4. 17. 18. *inepta* cogitare aliquid boni 2. *Cor.* 3. *v.* 5. corrupta 2. *Tim.* 3. *v.* 8. 1. *Tim.* 6. *v.* 5. animalis 1. *Cor.* 2. *v.* 14. De *voluntate* ἀδυναμία probatur sese ad Deum convertendi: quia cor malum omni die *Gen.* 6. *v.* 6. durum *Rom.* 2. *v.* 5. lapideum *Ezech.* 11. *v.* 19. 36. pravum *Ier* 17. *v.* 9. vanum *Psal.* 5. *v.* 23. *Eph.* 4. *v.* 17. cervix ferrea, frons ænea, nervus ferreus *Es.* 48. v. 4.

Rationes adhæc variæ possent adduci, sed aliunde petantur, Vide *Hutterum* L. C. *f.* 282. 283. *ut & Chemnic. f.* 192. 2. *Voluntas ac mens Hominis, utut nequeant esse caussa suæ salutis: possunt tamen esse caussa sui interitus* Os. 13. v. 9. Est namque dispar ratio voluntatis humanæ ad *bonum & ad malum.* Ad *illud* se habet *merè paßivè*: ubi mens & voluntas non concurrit ad suā conversionem per modum caussæ *efficientis*, vel *instrumentalis* ad minimum; sed per modum *subjecti*, adeoq; causæ *materialis*, non agendo, sed recipiendo sive patiendo *tantùm*. Quò spectat hominis ἱκανότης sive aptitudo, non *acti-*

va.

va, ſed *paßiva*; quo pacto differt à trunco & lapide. Ad *malum* verò ſeſe habet *activè*: poteſt igitur malum operari, poteſt Spiritui S. in actu converſionis obicem ponere, ei reſiſtere, media ſalutis repudiare *Luc.* 7. *v.* 30. *Act.* 7. *verſ.* 51. *c.* 13. *v.* 46. eaque contemnere & aſpernari *Matth.* 23. *v.* 37. Non ſecus, ac aliis poteſt ſeipſum excœcare, ſeſe interficere, ſed non poteſt ſibi viſum reſtituere, nec ſemet vivificare.

22. Id quod facit ad explicationem quæſtionis illius: *qui fiat, quod quidam convertantur, quidam verò nequaquam*? Ubi culpa non eſt in *principali Efficiente* ac Gratia Dei, ſalutem ex æquo omnibus offerre & conferre volente: nec in *organica*: quippe ex ordinatione Dei efficaci ad converſionem *ſimpliciter*, *ſed in ſubjecto converſionis*. Hoc n. aut Spiritui S. in ſerio verbi auditu non *reſiſtit*, & ſic etiam convertitur: *aut reſiſtit*, & ſic propria culpa & malitia non convertitur. Ubi illa non reſiſtentia non importat aliquam *poſitivam activitatem efficientis*, ſed ſolummodo *privationem contrariæ actionis* oppoſitæ agenti principali, adeoq; nudam *receptibilitatem paßivam in ſubjecto*. Do exemplũ *ſimile*: Cœcus aliquis ſeipſum viſui reſtituere nequit: Ergò indiget medicamentis & Medico: cui aut *non reſiſtit*, ſed media oblata grato animo ſuſcipit, & ſic tandem, divina benedictione accedente, viſui reſtituitur: vel eidem *reſiſtit*, manus Medici excutien-

cutiendo; remedia abjiciendo; & sic non *sanatur*, suæq; adeò cœcitatis caussa fit. Ubi quoad non resistentiam, cœcus non potest statui *efficiens activitatis alicujus positivæ h. e. visivæ*; sed solummodò *subjectum* non *impediens*, sed *recipiens medelam*: ne tantillum verò ad visionem oculi conferens: hæc namq; à Medico per media producitur & efficitur. Existit a. *caussa cœcitatis propriæ* ob spreta media. Idem de *visibilitate & cœcitate spirituali* sentiendum. Universa igitur culpa non conversionis in hominem ejusq; malitiam redundat. Ubi probè tenendum discrimen inter malitiam *Originalem*, quæ est omnibus hominibus ex æquo *communis*; & *actualem*, cujus vicissim plures dantur *gradus* conversionem impedientes, pro *diversitate auditorum*, sive *agri*, in quod semen Dei spargitur, de quo *Matth.* 13. *Marc.* 4. & *Luc.* 8. *Præter* talia auditorum genera reperiuntur alia, in quibus malitia actualis conspicitur, una aliam gradu superans, sibiq; exitium accersens. Datur enim malitia *quædam* 1. *contemtus & neglectus verbi* Dei, *ac mediorum* salutis *Luc.* 14. *v.* 18. *seq.* 24. *Matth.* 22. *v.* 2. 3. 2. *persuasionis*, *depravationis verbi* Dei *ac perversionis mediorum divinorum*: de tali hominum genere scriptum est, *Gal.* 5. *v.* 7. 8. 9. quis *vos impedivit, ut non crederetis veritati? nempe persuasio non ex eo facta, qui vocat vos: paululum fermenti totam massam fermentat.* 3. *præconceptæ opinionis*, quam

aliquis ab infantia arripiens, veritati præferre pervicacitèr non dubitat, usq; ad internecionem: exemplo *Iudæorum*, *Paganorum* & aliorum infidelium. 4. *Pruritus aurium nova audiendi* exemplo Atheniens. *Act.* 17. *v.* 18. 5. *calumniandi*, exemplo Pharisæorum *Matth.* 12. *v.* 24. *Luc.* 11. *v.* 14. *Act.* 13. *v.* 45. 6. *Contumaciæ* in errore perseverandi, agnitâ veritate. *Matth.* 22. *v.* 22. 32. 46. 7. *Hypocriseos*, dum pleriq; plùs diligunt gloriam hominum quàm Dei *Ioh.* 12. *v.* 43. adeoq; in gratiam amicorum, vel Magnatum veritatem contemnunt ibid. *v.* 42. 8. *superbiæ*: ex quâ oritur contemtus Verbi Dei *Luc.* 7. *v.* 30. *Act.* 13. *v.* 10. 9. *odii ergà* Doctores, & cõcionatores; exemplo Herodiadis *Marc.* 6. *v.* 19. 25. 10. *Scandali* accepti, ex vili concionatorum sorte, & qualitate *Matth.* 13. *v.* 57. *Marc.* 6. *v.* 3. 4. 11. *desidiæ & tepiditatis*; quoties multi duntaxat ex consuetudine audiunt verbum Dei: ii infidelibus adnumerantur *Ezech.* 33. *v.* 30. *seq.* *Apoc.* 3. *v.* 15. 16. 12. quærendi propriam *justiciam* *Rom.* 10. *v.* 3.

3. *Voluntas ac mens illuminata, ac ex nolente ac repugnante volens, ac consentiens facta; jam activè concurrit, & Principali agenti cooperatur.* Ratio: tum n. redditur *liberata*, & è mortua *viva* voluntas: ex mente cœca, illuminata facta. Huc spectat *Gratia* Dei *subsequens*, cui Homo regenitus dicitur cooperari, non sociâ, aut æquali voluntate; sed pro accepto regene-

rationis

rationis modulo, sanctificationisq; dono, ad actus fidei, caritatis, aliarumq; virtutum concurrendo. *Ezech.* 36. *v.* 27. *Philip.* 2. *v.* 12. 13.

22. Caussa *Formalis Conversionis* consistit in ejusdem *ordine & modo*.

23. *Ordo* conversionis ordinariæ peragitur praxi *Legis & Evangelij*. Dictum est de utriusq; genuino officio ac usu, *suprà disp.* 7. ex professo. Ubi talia intelligimus subjecta conversionis, in quibus locum habet *auditus*: quo nomine excipimus *infantes*, in quibus alio medio Spiritus S. regenerationem operatur, nimirum per baptismum.

24. *Praxis* verò ita habet:

Primò Deus ex merâ gratia homines in statu iræ constitutos ad regnum Gratiæ *Gal.* 1. *v.* 6. vocat per verbum prædicationis: Quò spectat Gratia Dei *præveniens* Rom. 10. 20. vel Excitans Eph. 5. v. 14.

Deinde vocando Hominem erudit per ministerium Verbi de *essentiâ, & voluntate* suâ.

Tertiò in iis, qui præconium verbi Dei admittunt, Spiritus S. per ministerium *Legis* prvitatem, quà actiones spirituales, mortificat; corda conterit; contritionem, & agnitionem peccatorum operatur: ut se reverâ filios iræ esse agnoscant. Ad hos actus spectat Gratia Dei *præparans*.

Quartò per ministerium Evangelii 1. annunciat gratuitam peccatorum remissionem.

2. fidem eis largitur, quâ Misericordiam Gratiamq; Dei in Christi merito fundatam apprehendant & remissionem peccatorum impetrent, sicq; justificentur. 3. erigit ac solatur sensu peccatorum prostratos, eosq; de æternâ salute reddit certissimos. 4. donat eos insuper novâ vi, facultate & efficaciâ inchoandi & efficiendi spirituales actiones, ut ita evadant nova creatura *Eph.* 2. *v.*10. *cap.* 4. *v.*22. 23. 24. Ad hosce actus pertinet *Gratia Dei operans & subsequens sive cooperans.*

25. *Modus conversionis ordinariæ* peragitur *illuminatione intellectus, & rectificatione* voluntatis à Spiritu S.

26. De *illuminatione* mentis hæc teneantur Theoremata. 1. *Mentem illuminat Spiritus S. lumine disponente & elevante subjectum.* Ratio: 1. quia Lumen naturale intellectus vel mentis nullam proportionem habet idoneam ad spirituale objectum cognoscendum, vel intelligendum. Ergò indiget lumine alio & quidem longè præstantiori, scilicet ipsius Spiritus S. cujus beneficio elevetur ac disponatur ad illuminationem. 2. quia ad defectum illum naturalem accessit *obscuritas magna* privationis & perversitatis: imò ipsa *cæcitas* in rebus Spiritualibus: opus igitur erit lumine adventitio ad oculos illuminandum.

2. *Spiritus S. lumen disponens & elevans intellectui nostro ex Gratia communicat per Verbum*

ve

vel scripturam sacram (in ordinariâ conversionis viâ) Ratio: quia Deus indissolubili nexu conjunxit verbum & spiritus illuminationẽ *Ps.* 119. *v.* 18. 27. *Eph.* 1. *v.* 17. 18. 2. *Tim.* 2. *v.* 7. 1. *Ioh.* 2. *v.* 24. 27. Ubi ne quis fingat lumen Spiritus S. & scripturæ esse diversum, lumenq; elevans & disponens non esse proprium scripturæ sacræ: ideo Spiritus S. illuminatio, & scriptura sacra, vel Verbum Dei perpetuò conjunguntur. Id quod etiam ex praxi ipsius Christi liquidò evincitur *Luc.* 24. *v.* 44. 45. & Apostolica *Act.* 16. *v.* 14. Neq; n. scriptura sacra indigâ est illuminationis, ipsa solis instar lucidissima lucens in obscuro loco; sed potiùs *noster intellectus excœcatus*: cujus respectu & Gratia Dei illuminans dicitur *præveniens*; non vero respectu scripturæ sacræ.

3. *Per lumen illud scripturæ congenitum, Spiritus S. accendit fidem in actu conversionis.*

Ratio: Est namq; fides cognitio & assensus, ac proinde ex illuminatione oritur: ubi verò nulla præcedit illuminatio, ibi manet cœca mens, imò adeò crassa & maligna, ut Dei Gratiam unâ cum summâ felicitate homini in miseriâ constituto oblatam in Christo; non secùs ac fabulam evanidam contemnat, ac pro re nullius momenti æstimet. *Porrò* quod illuminatio ex lumine scripturæ congenito oriatur, ratio est, *quia verbum* Dei *scriptum, & prædicatum, imprimit intellectui ac cordi*

nostro vivam sui ideam, quæ est ipsa fides: Est igitur in Verbo Dei scripto ac prædicato Vita ac spiritus, cujus virtute fide exsurgat, sobolescat, & altas radices agat, & tandem fructificet. Et quia in Verbo Dei omnium conceptuum divinorum Christus est vinculum, & anima: adeò, ut Christi *Spiritu verbum sit animatum*, nequaquam verò *litera mortua*; secùs ac delirant *Fanatici* hodiè omnes: idcircò etiam fides nititur unicè Christo in scripturis nobis revelato, eoq; ipso exigit *introversionem* in fundum scripturæ, qui est *Christus*. In quâ quidem introversione Spiritus S. non aliam suggerit *doctrinam*; quàm quæ in Verbo scripto sit tradita; nec alium insinuat sensum præter eum, qui in scripturis contineatur: nec deniq; diversum nobis suppeditat lumen; unum, quod in introversione affulgeat; & alterum, quod in Verbo scripto, lecto, audito ac prædicato luceat; sed *unum, ac idem*. Vocatur hinc fides *lumen accensum*; lumen verò subjecti ac scripturæ dicitur lumen *accendens ac producens*. *Vltimò* & hoc probè observandum, mentione fidei intelligi à nobis non modò ut habitum divinitùs infusum, per quem *renegeramur*; sed etiam ut *instrumentum*, quo *credimus & justificamur*.

4. *Illuminatio Ordinaria non fit in momento; sed successivè*. Non enim ἀθρόως simul & semel infunditur lumen illud novum; sed gradatim, adeoq;

adeoq; per incrementa, viatoribus in caliginoso hoc seculo versantibus per Gratiam Dei communicatur: *initiò* quidem *exiguum*; *progressu* temporis verò *adauctum*, & deniq; *exuberans*. Hinc illuminario Spiritus S. comparari haud incommodè potest cum illuminatione Solis. Hic gradatim terrigenis illucessit: *minori* copiâ sub auroram; *majori* tempore matutino; *maximâ* tempore meridiano. Ubi non est diversitas multoq; minus defectus in lumine solis; sed in subjecto illuminando. Modum autem illuminationis *specialis* sequitur ejusdem *effectus*, hoc est *fides*: *ex gradu* primo illuminationis oritur *noticia*, ubi viatores cernunt objecta mysteriorum divinorum intellectui proposita, modo qs: inter *tenebras & lucem intermedio*: uti accidere solet sub aurorâ ambulantibus, ac objecta externa cernentibus: ex *majori* illuminationis gradu eoq; qs: matutino oritur *assensus*, itâ, ut ea intellectus non modò penitiùs cognoscat; verùm etiam ut vera apprehendat, iisq; assensum præbeat: Ex *maximo* deniq; adeoq; meridiano oritur *fiducia*, in Christi meritum recumbens, ac Gratiam Dei apprehendens. Gradus ejusmodi proponuntur 2. Pet. 1. v. 19.

5. *Illuminatio Spiritualis transcendit omnes Philosophorum regulas.* Duplici sensu. Primò quidem ratione modi agendi: ubi agens in scholis Philosophorum dicitur agere vel phy-

ficè, vel Moralitèr. Actus verò illuminationis, conversionis & regenerationis neutro modo est comparatus: Non *physicè*, quia ad illuminationem & conversionem ordinariam producendam requiritur ab hominibus, ut Verbi ministerio locum relinquant, auditum verbi admittant, neq; ei obicem ponant, hocq; pacto resistant: alioquin nulla sequeretur illuminatio & conversio. Non *Moralitèr*, quia actio moralis, movet tantum *objectivè* & in *virtute finis*: talis verò non est illuminationis & conversionis actio Spiritus S. per verbum, dum naturalem infirmitatem in spiritualibus curat; non *tantùm suasione, hortatione & consilio*; verùm etiam *emolliendo, convertendo, illuminando intellectum*, & voluntatem *regenerando, rectificando, corda vulnerando, circumcidendo, conterendo, aperiendo, vivificando, ex mortuis resuscitando*; cor novum *creando*; spiritum *indendo*. Quæ omnia & id genus alia; actionis *Moralis* modum longè lateq; excedunt. *Deinde* ratione *modi recipiendi*: In Scholis Philosophorum militat illud axioma: Quicquid recipitur; id recipitur ad modum recipientis. *Contrà* vero Verbum Dei, & quæ per verbum Dei fit illuminatio statui nequit, ut secundum modum facultatis recipientis *recipiatur*: recipiens namq; *est meræ tenebræ*, meraq; *caligo*; prorsùs excœcatum, exanime, & mortuum in peccatis.

27. De

27. De *rectificatione voluntatis Axiomata.*

1. *Quo lumine illuminatur intellectus, eodem rectificatur Voluntas & inferior appetitus.* Nam idem lumen accendens regenerat mentem & voluntatem, nec modò parit noticiam in intellectu; sed etiam assensum & fiduciam in voluntate (quibus partibus fides salvifica absolvitur) itá ut hinc voluntas à Deo anteá aversa jam conversa facta, eum jam diligat, & verâ fiduciâ apprehendat.

2. *Lumen elevans rectificat voluntatem nostram cum inferiori facultate tangendo, movendo, & flectendo corda nostra, ad studium omnis pietatis & officij:* Apocal. c. 3. v. 20. Act. 16. v. 14.

28. *Finalis* caussa Conversionis *ultima simpliciter*, est Dei *Gloria* Rom. 6. v. 4. 1. Cor. 6. v. 20. *manifestatio* Misericordiæ *divinæ* Eph. 1. v. 6. 1. Tim. 1. 16. 1. Ioh. 4. v. 9.

Subordinata, renatorum *excitatio* ad exercitium bonorum operum. *Eph.* 2. v. 10. 2. *Tim.* 2. v. 21. *Tit.* 2. v. 10. 11. alia *intermedia*, spes viva 1. Pet. 1. v. 3. 4. *Vltima secundum quid*, vitæ æternæ collatio. Rom. 8. v. 17. *Gal.* 4. v. 7. *Philip.* 3. v. 12. Col. 1. v. 5. 1. Pet. 5. v. 4. 2. Pet. 1. v. 11. 1. *Ioh.* 1. v. 2. *cap.* 4. v. 9. *cap.* 5. v. 13.

V. AXIOMATA GENERALIA de Conversione.

I. *Convetsio est opus Dei supernaturale, & gratuitum. Supernaturale* quidem: quia non

 efficitur

efficitur humanis viribus: hæ namq; in homine irregenito sunt nullæ, uti ad cogitandum, & percipiendum; ita ad volendum bonum supernaturale. *Gratuitum* verò: quia omnes Conversionis causæ sunt gratuitæ: ipsa Dei *gratia* & misericordia; Christi *meritum*; nec non *media* divinitus ordinata, *verbum & Sacramenta*.

II. *Conversio Hominis prima est actus indivi-duus, adeoq; fit tantùm semel in hac vitâ.* Est enim Conversio regeneratio: Uti autem homo semel generatur: ità semel propriè regeneratur ac convertitur: regeneratur verò, sanctificatur, ac magis magisq; virtutis divinæ præsidio gubernatur ac custoditur ad salutem 1. Pet. 1. v. 5.

III. *Conversio Hominis prima fit successivè habens sua initia, & progressus, quibus perficitur.* Praxis hujus rei extat Act. 2. v. 37. seq. Deinde sicuti in generatione naturali prærequiruntur multæ actiones præcedaneæ: ità in spirituali regeneratione per multas præcedaneas Gratiæ actiones, ut sunt noticia voluntatis divinæ; sensus peccati; timor pœnæ; cogitatio de liberatione; lucta cum carne; pugna cum diffidentia; assensus verbi divini (vide de his *libellum* nostrum) pervenitur ad spiritualem nativitatem. Deniq; evincit id ipsum *ordo* operandi conversionem divinus, non immediatè, sed per ministerium verbi 1. Cor. 4. v. 15.

Alio-

Alioquin in subitaneâ Conversione nulla opus foret noticiâ, nullo dolore, aut desiderio: neq; etiam opus esset hominum ministerio, vel prædicatione verbi: insuper non foret necessum servare praxin *Legis* & *Evangelij*.

IV. *In primo Conversionis momento homo nihil facit, sed totus fit. Ioh. 1. v. 13.* Ratio: Tunc n. homo sese habet merè passivè.

V. In *Conversione concurrunt duo subjecta, & duo termini.* Ex duobus subjectis *unum* est agens, vel *efficiens* conversionem, scilicet solus Spiritus S. per verbum & sacramenta efficax: *alterum* patiens, estq; homo actionem Spiritus S. recipiens. *Terminorum alter est à quo* conversionis, isq; malus, h. e. vanitates mundi, simulacra, tenebræ, potestas Satanæ & tyrannis Diaboli, peccati, iræ Dei, mors deniq; ipsa æterna. *Alter est ad quem*, isq; bonus, nimirum ipse Deus vivus; Pastor animarum; Lux; participatio sortis sanctorum in lumine; regnum cœleste; Gratia & favor Dei, vita deniq; æterna. Uterq; exprimitur locis sequentibus. *Act. 11. v. 18. c. 14. v. 15. cap 26. v. 18. Col. 1. v. 12. 1. Thess. 1. v 9. Eph. 2. v. 3. c. 4. v. 18. 19. c. 5. v. 4. 1. Pet. 2. v. ult. c. 3. v. 9.*

VI. *Conversio Hominis prima ordinaria ex parte intentionis divinæ est Universalis: culpâ verò hominum redditur particularis.* Ratio: quia ex parte Dei nil desideratur mediorum ad conversionem omnium hominum: ceu sunt *Gra-*

tia

tia Dei, Christi meritum, omniaq; beneficia Christi merito parta: omnia quippe universalia, omnibusq; hominibus in Evangelio offeruntur, ac proponuntur. Hinc *quàm latè patet Evangelium; tàm latè patent Conversionis media*. Deinde quia Conversionis beneficium fluit ex Christi meritis. *Quam latè igitur patet Christi meritum, tam latè extenditur quoq, conversionis beneficium*. Evadit verò Conversio hominum *particularis in applicatione*, quia Deus non intendit absolutè homines convertere, sed *interveníentibus* mediis, nimirum Auditu verbi cum discendi studio. Hinc quia non omnes verbum Dei admittunt, nec audiunt cum discendi desiderio; utiq, nec conversionis evadunt omnes participes.

VII. *Conversio prima seu regeneratio est totalis*. Siquidem in conversione accedit mutatio omnibus hominis potentiis & facultatibus tum *superioribus*, tum *inferioribus*. *Intellectus* enim illuminatur noticiâ Dei & fide; *Voluntas* accipit sanctitatem, per quam actiones bonas spirituales producere possit. Porrò ad praescriptum partis spiritualis regenitæ sese componit appetitus *sensetivus tùm* irascibilis, *tùm* concupiscibilis, ut & potentia *locomotiva* Rom. 12. v. 2. Eph. 1. v. 17. 18. Philip. 2. v. 13. Breviter; *nulla pars datur Hominis regeniti, quam non pervadat, perspiret, vivificet, agitet & moveat Spiritus S. motu efficacißimo*. 2. Thes. 1. v. 11. Heb.

Heb.3.v.20. *Deinde*, quia illuminatio mentis, & renovatio voluntatis & cordis nunquam à se invicem separantur: *quia* Deus totum hominem mente, corde, & voluntate regenerat, opusq; suum inchoatum magis magisq; in eo perficit.

VIII. *Conversio hæc in vita est imperfecta.* Ratio 1. quia pravitas congenita ac obnitendi potentia voluntatis non prorsus tollitur hac in vitâ per Gratiam prævenientem, excitantem. 2. quia cor lapideum semper atteritur, nunquam conteritur. 3. quia fides & charitas hac in vitâ sunt imperfecta 1. *Cor.13 v.12.13.* 4. quia caro semper concupiscit adversus spiritum *Gal.5.v.17.* 5. quia Spiritus S. dona sua per verbum non statim uno momento absolvit, sed opera ipsius habent progressus suos ex fide in fidem *Rom. 1.v.17.* 6. quia debemus in perpetuo verbi & sacramentorum exercitio ac in continuo usu acceptorum donorum perseverare, pergere, & sine intermissione orare *Matth.25.v.29.* de talento collato ritè collocando: uti rectè *libellus* noster monet.

IX. *Conversio prima ut & regeneratio non debet judicari sensibus humanis.* Intellige 1. ratione *Infantum.* 2. ratione *adultorum* à pueritiâ in gremio Ecclesiæ educatorum & institutorum: Spiritus n. S. non ostendit suam præsentiam & operationem sensibiliter: sensus etiam & experientia non præcedunt, sed sequuntur

quuntur fidem. Alia longè ratio est illorum, qui à paganiſmo ad Eccleſiam adducuntur; in his enim converſio & regeneratio partim per actus *præcedaneos*, partim per *ſubſequentes* innoteſcit.

X. *Converſio Hominis eſt contingens*: producta quippe non neceſſitate *Conſequentis* vel Cauſſæ, poterat namq; homo reſiſtere, ſed neceſſitate *conſequentiæ*, reſpectu præſcientię divinæ *infallibilis*.

VI. Cognata Converſionis.

29. Talia ſunt 1. *Regeneratio, Iuſtificatio & renovatio.*

30. *Conveniunt* hęc 1. ſimultate *temporis*: eodem n. tempore producuntur ac ſeſe mutuò prę ſupponunt. 2. *cauſis* & mediis ex parte Dei. 3. *Effectis*, unde Homo dicitur nova creatura, ac Dei filius.

31. *Differunt* ab invicem 1. *in genere* 1. *appellationibus* 2. *ordine* productionis: *primùm* n. homo regeneratur per illuminationem intellectus, & rectificationem voluntatis: Vnde eodem momento concipit dolorem de peccatis, à quibus etiam per fidem in Chriſtum cupit liberari, oblata peccatorum remiſſione ac promiſſione Gratię in Evangelio: Proinde Gratiam illam in Chriſti merito fundatam apprehendit fide, ſicq; juſtificatur: *Deniq;* juſtificationem excipit ſanctificatio ac ſtudium novę

obedien-

obedientię ergà Dei mandata. 3. *Subjecto*: regeneratio quippe ut & justificatio cadit in infantes & adultos, tum etiam renovatio: non verò conversio ordinaria, quę fit per verbum auditum, præsertim si contritio vel pœnitentia ceu pars conversionis attendatur: hæc namq; non cadit in infantes, secùs, ac quidam contrà tradunt. Hinc 4. Regeneratio & justificatio est necessaria, ad salutem simplicitèr; conversio verò jam adultis propriè injungitur.

In specie Regeneratio est Justificatione prior *ordine naturæ*: Ratio: 1. quia justificatio hoc pacto non potest antevertere regenerationem ob defectum requisiti, vel organi, h. e. fidei, quæ in actu justificationis, non de futuro, sed de præsenti; non in potentiâ, sed in actu, adeoq; in existentiâ spectatur: Id quod probant operationes tùm apprehensionis Gratiæ & meriti Christi, tùm applicationis eorundem. Quomodo autem id, quod nondum existit, operari dicitur? Jam verò fides non nisi in regeneratione primùm confertur, non ante eam E. etiam regeneratio ordine ac prioritate naturæ præcedit justificationem. 2. quia diversitatem monstrat subjectorum disparitas: aliter namq; subjectum est comparatum in actu *regenerationis*, aliter in *justificationis*. Ibi est merè *passivum*, heîc verò *partim passivum* respectu beneficiorum, quæ

Deus

Deus confert, homo verò recipit, partim verò *activum*, quatenus jam fide instructus & donatus, ejusdem ἐνέργειαν tam in *foro poli*, in quo absolvitur à reatu & condemnatione credendo: tum *in foro* soli coram hominibus, sanctè vivendo, exserit. Breviter : *In regeneratione fides consideratur ut habitus infusus per Spiritum S.* in Justificatione a. *ut actus, seu exercitium & functio istius habitus*. 3. diversitas desumitur *porrò* à fidei conditione. Nam in actu regenerationis fides primùm incipit, nec anteà in tali homine existebat: qui autem id agere verâ caussalitate poterit, quod non est? (præsertim vera causalitate in modum efficientis:) Est verò e contra caussa, quamvis organica Justificationis.

Ex his simul diversitas regenerationis, justificationis & renovationis per se patescit.

VII. Opposita Conversionis.

32. Opponitur Conversioni *aversio à Deo & conversio ad terminum* malum h. e. ad mundum, peccatum, Satanam &c. vel impœnitentia, induratio cordis, frons ænea, cervix ferrea, dura, resistentia Spiritui S. contemtus mediorum. &c.

De Legis Impletione.

§. 1. Alterum hujus disputationis membrum

brum est de virib. hominis non regeniti quoad *Legis impletionem*. Ut autem brevissimis nostram expediamus sententiam; removemus à quæstione hæc sequentia. 1. Quomodo nimirum homo nondum regenitus 1. sese habeat ad actiones cum brutis *communes*, ut sunt: *edere, bibere, ambulare* 2. ad actiones *indifferentes tum* civiles, ut sunt: emere, vendere, artem mechanicam exercere &c. *tum naturales* ut sunt: *numerare*, loqui, ridere, flere: tum deniq; Ecclesiasticas, ut sunt: templum ingredi, verbum Dei audire, etiam cum discendi studio &c. 3. ad actiones *morales* externas & incompletas Rom.2.v.14. ad has namq; & id genus alias Liberum hominis nondum regeniti arbitrium multum posse non diffitemur.

§. 2. Quæstio autem est de viribus ejusmodi hominis, quoad actiones 1. *morales internas* & completas, h. e. perfectionem suam habentes, respectu perfecti principii & *finis ultimi*: mentione principii perfecti virtutis intelligimus veram Dei *dilectionem*: *Vltimi autem finis* Dei *gloriam & salutem æternam*: 2. quoad actiones *spirituales tum* completas, tum hominem ad æternam salutem deducentes, quales sunt: *agnitio* Dei, *timor*, *fides*, *spes*, *dilectio* Dei *&c.*

§. 3. Quoad *prius* actionum genus de viribus hominis ante Conversionem thesis nostra hæc esto:

Perfectum bonum vel virtutem Moralem tam politicam quam Oeconomicam nullus homo per reliquias Liberi Arbitrii sine speciali Gratia Spiritus S. exercere potest. Ratio: quia destituitur talis homo, principio perfecto virtutis moralis, & ultimo fine. Hinc virtutes Hominis non regeniti sunt mera *peccata*: quippe sine fide: sine qua impossibile est Deo placere. *Rom.14.v.ult.*Hebr.11.v.6. consentiente B. *Augustino lib.19. d. Civit.*Dei *cap.15.*

4. Quoad *posterius*; de virtutibus spiritualibus tale esto effatum: *Voluntas hominis non regeniti non potest ex propriis viribus sine Spiritu S. vel inchoare interiores motus ac spirituales; vel præstare & efficere interiorem obedientiam cordis; vel in cœpto cursu perseverare perficere consummare.* Ratio 1. quia homo sic comparatus est mortuus in peccatis *Eph.2.v.3. Col. 2. v. 13.* 2. quia tales virtutes, Spiritu agente præstantur, unde etiam spirituales dictæ 3. quia caro impedit operantem Spiritum S. *tum* mala concupiscentiâ *Rom. 7.v.8.14 seq.Gal.5.v.17. seq.* tùm sensu carnis *Rom.8.v.7.* plura argumenta vide apud *Chemnic.* L. C. d. L. *Arbit.c.5.*

Post conversionem autem quousq; vires humanæ quoad novam obedientiam sese extendant, dictum paulò ante fuit: & in specie de impossibilitate implendi Legem in statu gratiæ vide *disp.7.de Lege Theor.5.6.7.*

IV. Ex-

§. 1. Si alicubi, certè circa hunc articulum Antithesis extitit, etiam nunc qq. deprehenditur copiosissima, adeò ut cordatè pronunciarit Dn. *Chemnitius* in tractatione hujus loci hunc in modum: *Fuit hic Locus semper tanquam scopulus, in quem naufragium passura fides hominum perversorum impegit fol.* 201.

2. Omnes a. hæreses, impræsentiarum recitâsse, erit refutâsse: recensebimus itaq; hæreses *tum* Veteres, *tum novas vel renovatas &c.*

3. Veteres exorbitâsse deprehenduntur *partim in defectu* partim *in excessu. In defectu* erarunt 1. *Manichæi*, omnem libertatem in omnibus actionibus humanis tollentes circà Annum Christi 276. apud *August. lib. d. hæresib. & ante eos* Valentinus, Cerdon, Marcion Anno Christi 140. 2. *Stoici*, fingentes omnia, quæ fiunt, & quoquomodo fiant, fieri *necessariò*, & quidem necessitate *absolutâ*: omnem verò libertatem voluntati *in civilibus* insuper denegantes. Huic errori adstipulati erant, *Iohannes* Wiclefus Anno 1350. in concilio *Constantiensi* damnatus sess. 8. *art.* 2. A. 1416. ut & *Laurentius Valla* Anno Christi 1405. de quo vide *Chemnic. f.* 139. *Loc.* VI. 3. *Enthusiastæ* omnem verbi auditum, lectionem & meditationem rejicientes, illapsumq; Spiritus S. per somnia vel per simulationem orationis ex-

ſpectantes circa annum Chriſti 380. à quodam Meſſalio oriundi in *hiſt. Tripart. lib. 7. cap. 11.*

4. *In exceſſu* peccarunt 1. *Pelagius* Brito anno 410. *initiò* in tantum Liberi arbitrii vires extollens, ut dicere non dubitarit, non opus eſſe gratiâ, & auxilio Spiritus S. ſed hominem ſuis naturalibus viribus poſſe omnia mandata Dei facere. Vide hujus hiſtoriæ plenariam relationem apud *Chemnicium fol.* 203. *ſeq. Hutterum* L. C. *f.* 285. ſeq. ubi argumentorum Pelagianorum ſolutiones reperientur.

2. *Scholaſtici* eandem hæreſin ſubinde ex orco reſuſcitantes, & propagantes, contendebant 1. *Lib. Arbit. ex ſuis naturalibus viribus poſſe præcepta* Domini *implere quoad ſubſtantiam actus* 2. *Hominem non renatum ſine fide & Spiritu S. ſolo Libero Arbitrio facientem opera præceptorum non peccare.* 3. *Hominem talem poſſe vitare quodvis peccatum mortale, ne de novo illud committat.* 4. *Hominem ex carnali nativitate ſemper aliquid donorum gratuitorum afferre ante renovationem, cujus virtute ſe præparare queat ad ſuſcipiendam gratiam: ita Bonaventur, Occam, Scotus, Alexander ab Halis, Ambroſius Spiera &c.*

V. Hæreſes renovatæ.

1. *Pontificiorum* facientium ſuam hæreſin tum *Pelagianam*, tum *Scholaſticorum*: Vide fuſe ſententiam concilii *Tridentini* examinatam apud

apud Chemnic. part. 1. Exam. Hutterum. d. l. f. 288. præsertim Dn. *Meisnerum.* 3. Decad Anthropolog. disp. 2. de L. A. ubi egregia *collatio* hæreseos Pelagianæ & renovatæ Pontificiorum deprehenditur: quam nostris temporibus defensum qq; ivit Bellarm. *lib. 5. de Grat. & Lib. Arbit. c. 5. 9. & lib. 6. cap. 10. 12. 15.* ubi talia leguntur: *Hinc nondum renatus solis naturæ viribus potest adimplere omnia præcepta moralia secundùm substantiam actuum, vel operis.* Homo ante omnem *Gratiam habet* Lib. arb. *non solum ad opera naturalia & moralia; sed etiam ad opera supernaturalia pietatis facienda; contrà* Matth. 7. v. 18. Luc. 6. v. 43. 44. Rom. 3. v. 9. 3. *Liberum arbitrium non esse sublatum quâ Spiritualia; sed tantùm ligatum & impeditum.* Similia inculcat *Becanus lib. 1. Manual. c. 15. p. 386. seq. & lib. 3. cap. 3. Quæst. 2. p.* 556. 557. 558.

II. *Calvinianorum* 1. Gratiam Dei multiplicantium, acsi quędam esset *sufficiens* ad ἀναπολογίαν; quædam *efficax*: *eaq;* interna ad conversionem *secundùm* quid; quædam *ad conversionem simpliciter*: quam itidem fingunt *particularem, solisq; Electis propriam, eamq; irresistibilem.* Vid. *Synod. Dortrecht. part. 2. art. 2. p.* 102. 103. 188. *art. 3. & 4. p.* 169. 176. 183. 194. 211. 218. 231. 233. Aliam Gratiam esse *odorem vitæ ad vitam*; aliam *aliis ad mortem ibid.*

2. Non omnes ad salutem & vitam æternam vocari, nec media omnibus efficaciter

niſtrari ibid. p.195. vocationem aliam eſſe *efficacem* & electorum; aliam *ſufficientem* Hypocritarum *ibid p.*197.

3. *Lucem ſcripturæ non conferre ſalutem: nec Baptiſmum regenerare; ſed generalem tantùm aſſenſum efficere ibid.p.*203.225. 226.231.255.

4. Dei actionem Phſicum in converſione vehementer & ſatis ſubtiliter in ſuo genere urget *Maccovius* in ſuis diſput. præſertim 14. & 15. cum omnibus plerisque Synodalibus *Dortrecht.* eam verò rejicit *Sibrandus in ſynodo p.* 218. *part.* 3. *membro* 5. *Antith.*

5. Regenerationem & converſionem fieri immediatè per Spiritum S.*p.*234.169.*ex occultâ* Dei *Gratia p.*176.194.

6. Subjectum regenerationis eſſe tantùm Electos. *Polanus*, Keckerm. &c. Synodales omnes.

7. Regenerationem & Sanctificationem unum ac idem eſſe *Polanus lib.6.ſyntagm.cap.*37. *p.* 467. 8. *Regenerationem* non fieri per *Baptiſmum*: ideoq; infantes *immediatè* regenerari, arcanâ vi Spiritus S. per Baptiſmum a. *ſignificari. Polanus ibid. Vltimò* notetur conſenſus *Pontificiorum* quorundam cum *Calvinianis de abſoluta* Dei *Gratia*: *ut Bellarm.lib.* 1.*de Grat. & Libero A.cap.*12 *& lib.*2.*cap.*2. 6.*Franciſc.Suarez tract: d.concurſ. & d. Libero Arb.* Hinc *Keckermannus ſyſtem. Theolog. p.* 265. nullibi adeò propiùs accedere ad Calvinianos Bellarminum fatetur quàm heîcce.

III. *Synerg-*

III. *Synergistarum*, voluntatem Hominis in conversione sese activè habere contendentium: Tales erant 1. *Philippus Melanchton* post obitum B. *Lutheri*, *Victorinus Strigelius*, *Stosselius*, *Pfeffinger*, *Georgius Major* quibus sese opposuere tum temporis. *Flacius* Illyricus, *Hesbusius*, *Wigandus*, *Gallus*, *Morlinus*, *Musæus*, *Westphalus* circa Annum Domini 1560. seq.

IV. *Weigelianorum*, statuentium naturam ducere ad Gratiam *Weigel. part.* 3. *postill. p.* 348. 2. lumen insitum esse sufficiens ad cœlestem veritatem *ibid. part.* 2. *p.* 184. 3. nos posse mandata Dei perfectè implere. *Idem* in Offenbarung *lib.* 17. *p.* 244.


V. *Schwenckfeldianorum* & omnium fanaticorum hodiernorum, efficaciam Verbo Dei, & Sacramentis detrahentium: Quò pertinet schismaticus error *Rathmanni*, de quo suprà disp. 2. quem quidem, ut & sequentia Emblemata, sonorâ voce pro fanaticis, & Schwenckfeldianis proclamamus, eorum qui statuunt, 1. *Scripturam S. ceu relationem uti esse minimæ entitatis, ità efficaciæ.* 2. *Verbum Dei non esse perpetuæ durationis.* 3. *Scripturam S. quà sensum literalem esse obscuram nubis instar.* 4. *scripturam extra operationem & usum cessare esse efficacem.* 5. *operationem divinam non esse intrinsecam scripturæ sacræ.* 6. *scripturam S. non esse divina operatione præditam intrinsecus.* 7. *vita & Spiritu præditum esse, de ratione externa scripturæ esse.* 8 *potentiam,*

vitam

vitam & Spiritum supervenire scripturæ S. in morem accidentis prædicabilis. 9. Verbum Dei, quod in Diabolum & impios cadit, non esse Spiritum & Vitam. 10. Scripturam tantum lumine objecti h. e. Historico, Grammatico & literali præditam esse, lumen a. subjecti eidem esse adventitium forinsecùs, eamq; antevertere *non semper*; sed tantùm *in actu conversionis. 11. Lumen objecti rectè vocari obscurum. 12. Scripturam S. esse inefficacem tum ad illuminandum excœcatos; tum ad vivificandum mortuos in peccatis, nempe in se & intrinseco suo principio. 13. scripturam dari extra lumen* Gratiæ, quoties non est in usu posita. 14. scripturam S. sine præveniente lumine Gratiæ in respectu effectuum supernaturalium, *in se & ex se, actu esse quippiam exanime, & mortuum.*

Hæc, inquam, & id genus alia, est non nemo, qui Spiritu Fanatico inflatus, præcipitanter satis, simul atq; morosè propugnet; ac instar reliquiarum sacrarum adoret: quæ tamen nos cum orthodoxis quêisvis, pro excrementis cerebri Schwenckfeldiani reputare; nec non ex Ecclesiæ proscenio proscribere, & exterminare non dubitamus; prolixius singulorum examen ξὺν θεῷ, suo tempore, & loco reservantes.

Soli Deo gloria.




Biblioteka Jagiellonska
stdr0012641

